



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

XLVII. De filio prodigo. Luc. 15. 11. Pars 1.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

532 DOCTRINA ET MIRACULA

ex quibus verbum perdiderat synagoga
vnum illud, de quo Euangelista, *In prin-*
cipio erat Verbum: sed nos lucernam Ma-
tris Ecclesiae iam sequamur, & ambu-
lantes in lumine Dominici vultus, Chri-
sti perueniamus ad drachmam?)

XLVII.

De filio prodigo. Luc. 15. 11. Pars I.

Sabb. post 2.
Quadrages.

A It autem: Homo quidam habuit
duos filios, & dixit adolescentior ex
illis patri: Pater, da¹ mihi portionem sub-
stantia qua me contingit; & diuisit illis
substantiam; & non post² multos dies, con-
gregatis omnibus adolescētior filius peregre
profectus est in regionem³ longinquam, &
⁴ ibi dissipauit substantiam suam viuendo
luxuriosē; & postquam omnia consummas-
set, facta est⁵ fames valida in regione illa,
& ipse coepit⁶ egere, & abiit & adhesit
uni ciuium regionis illius, & misit illum
in villam suam ut⁷ pasceret porcos, & cu-
piebat implere ventrem suum de⁸ siliquis
quas porci manducabant, & nemo⁹ illi
dabat. Chrysologus, "Petente vno; am-
b obus.

Chrys. l. i.

bobus totam substantiam mox diuisit, ut scirent filij quod antè tenebat pater non fuisse auaritiæ, sed amoris. Beati filij quibus manet tota in patris cultura possessio: Cæterum facultates vnitatem (inducunt, fraternitatem separant.) & infra: "Adolescentior planè non ætate, sed sensu, qui abiit longè plus mente quàm loco, ut dato, non accepto pretio miseræ se venderet seruituti; & cæpit egere; sic inuenit qui se negat patri, qui se committit extraneo, ut sentiat seuerum iudicem, qui fugit indulgentissimum prouisorum. Quam crudele ministerium, quia neque conuiuit porcis qui uiuit porcis!)

2. In se autem¹ reuersus dixit. Quanti² mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego³ hîc fame pereor; surgam & ibo ad⁴ patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in⁵ Cælum & coram te; Iam non sum dignus⁷ vocari filius tuus, fac me⁸ sicut unum de mercenariis tuis; &⁹ surgens venit ad patrem. August.¹⁰ Regio Aug. qq. longinqua, obliuio Dei est; fames, indigentia verbi veritatis; siliquæ, sæculares doctrinæ: vnde cum iste saturari cupiebat,

Euâg. c. 33.

Chrys. f. 2.

Ambr. 7. in
Lucam.

piebat, aliquid solidum & rectum quod ad beatam vitam pertineret inuenire volebat, & non poterat; in conscientiam autem interiorē reducem faciens intentionem suam dixit, *quanti mercenarij, &c.*) & Chrysologus, "Iacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, & ideo exclamat, *surgam*: neque dicit, non sum dignus esse filius tuus, sed *vocari*, & quia perdiderat quod erat naturæ, iudicat se, quod est gratiæ, nō mereri, &c.) & Ambrosius, "Benè in se reuertitur, qui à se recessit; etenim qui ad Dominum regreditur, se sibi reddit; qui recedit à Christo, se sibi abdicat. Mercenarij autem qui sunt? Bonus mercenarius Petrus, Ioannes, Iacobus, quibus dicitur, Venite post me faciam vos piscatores hominum. Isti non filiquis, sed panibus abundabant; denique & collegerant fragmentorum cophinos duodecim. O si nos quoque Domine Iesus mercenarios digneris conducere. licet serò venientes!)